

etiam eius, quæ non nihil amara est, aiunt mirè vlcibus subuenire. Montanis, calidisq. magna ex parte locis proueniunt. & quamquam in frigidis quoque nascantur, in calidis tamen, aut temperatis saltem maturant fructum. florent primo vere, & fructum æstate cum cæteris arboribus proferre solent. Quouis anni tempore, sed vere maxime, defossis vtcumque folijs, aut pedibus conculcatis, proueniunt, nullaq. adhibita cura agunt radices, in iustamq. attoluntur magnitudinem. Ad Tunarum species pertinere videtur *Tetzuaculis*, quæ cum natura tum etiam forma similis esset, nisi brachia, caulesq. teretem formam & striatam fortirentur, & aliæ permultæ, de quibus fortasse distinctionis gratia proprijs tractabitur locis.

De *NOCHEZNOPALLI*, seu *NOPALNOCHEZTLI*, idest *Cocco Indico in Tunis quibusdam nascente. Cap. XLV.*



REPERIVNTVR apud Mexicanos in Tunarum quodam genere *Nocheznopalli*, seu *Nopalnocheztl* vocato hac sola ratione à pecorum armentorumq. iniurijs, quibusdam in locis natura munitis asserto vindicatoq. vermiculi rotundi, extra candidi, intra verò coccinei coloris, interdum sponte ipsius naturæ, interdum hominum industria atque diligentia, femina superioris anni stato tempore Tunis admoventium, quæ Indi *Nocheztl*, nostri verò *Cochinilla*, fortassis à *Cocco*, seu *Grano cuius species sunt*, appellare solent. Sunt qui diuersam rem, hos esse vermiculos arbitrentur. Verum etsi non me lateat, *Coccum* nostri orbis non *Tunæ*, quæ nullæ ferè ibi reperiuntur, sed *Ilicis* cuiusdam, quam *Cusculium* recentiores vocant, esse excrementum, folijsq. adherere, nec fructum esse, neque semen, ideoque facultate pollere minimè adstrictoria, eiusq. interna, præstantiæ & honoris gratia vocari *Chermes*, exteriora verò, quæ magis sunt vulgaria, adhuc *Græcam* nuncupationem mordicus tenuisse, quare allucinantur qui *Chermes* ab insectorio *Cocco* differre arbitrantur. Tamen cum vermiculi ex hoc excremento gignantur, quibus vt in his qui in *Tunæ* genere hoc, seu ex eius semine gignantur, aqua tingendi lanas coccineo colore natura sit atque conditio, & promiscuè sint huiusmodi vermes pictoribus tinctoribusq. viles, firmum habeo ad coccineum genus, vnde (veluti diximus) fortassis Hispaniense nomen emanauit, non minus ac eos quos vocatæ *Pampinulæ*, Teuerijsq. radicibus apud Peruios innasci fama est, esse referendos. Ergo ex *Nocheztl* pureus interdum, interdum verò coccineus, pro varia parandi forma, constat color. siq. exquisitissimus, si teratur ex aqua decocti arboris *Tetzuacul*, addito

Alu-

Alumine, atque subsedimento efformato in placentulas. Adstringit ex aceto tritus, admotusq. in forma emplastri vulneribus opitulatur. cor, caput, atq. ventriculum roborat, ac dentes egregiè extergit. Purpurarum sanguine vta est antiquitas quibusdam in venis gutturis earum contento, dum lanas tingendas curabat, & Tyrio honore decorabat vestes, verum iamdiu eo medicamento vti desijt Orbis, eadem repetiturus cum libebit pigmenta, neque vnquam nouis inuentis satiandus, aut pedem aliquo in tempore fixurus.

Excrementa pluribus adnascuntur plantis, quæ deinde in varias insectorum species transmutantur. sic non tantum *Coccus* in *Ilicis* nascitur, sed etiam quæuis *Galla* in *Quercubus* intra se *Muscam* gignit. idem obseruare licet in vesiculis *Vlmi*, *Terebinthi* alijsq. plantis compluribus.

De *CACAUA QV AHVITL*, seu arbore *CACARI* Cacauifera. Cap. XLVI.



AT in *Cacaua Quahuil*, magna deteguntur humanæ sortis volumina. in veteri siquidem Orbe, perq. præca illa tempora, quæ vitæ hominum erant necessaria, atque adeo apud alios cum deessent quærenda, non rependebantur ære. nondum aureus argenteusue nummus circumferebatur, aut pecudum, Regumue, aut Principum simulacrâ metallis cernebantur insculpta. rerum viuebatur permutatione, vt olim factum cecinit *Homerus*, & fructuum quos recodebant facta alijs copia, mutuam ferebatur auxilium. tandem æra percussa, atque signata sunt, & mille rerum effigies numismatis impressæ conspiciantur. at in nouum hunc mundum nunquam auaritiæ signa penetrauerant, aut caput erexerat ambitio, donec nostri, velis ventouè deuecti, imperum fecer. non vsque adeo splendebant illis argentum atque aurum quibus præcipuè abundabant; aurum pulcherrimarum plumæ, lintea quædam gossippina, & gemmæ, quæ ea fert affatim sua sponte tellus, erat diuitiarum, & copiarum summa. nondum *Armilla*, torques, aut brachialia; nisi fortassis concinnata è floribus, plebi innotuerant, aut *Margaritæ* erant illis in pretio. nudi penè incedebant, vitam degebant hilarem. neque vastos congerendi thesauros, aut rei familiaris augendæ, veluti de futuro parum sollicitos, cura euigilabat. in diem viuebatur, indulgebatur genio, humili sorte, sed tranquilla & felici, & potissimis naturæ bonis magna cum iucunditate potiebantur. Semen *Cacuanall* erat illis pro nummo, & eo præcipua vitæ præmio, cum opus erat, comparabantur. duratq. in hodiernum vsque diem non

non paucis in locis hic mos. Quid ni? Quando quibusdam orientalium gentium Cochleæ Veneriæ, & alijs folia quarundam arborum, & alijs alia pecuniæ gerunt vices. quin & ex eodem semine, quo commercia inibantur, seruebant emporia, & in varios dominos illius ope mercimonia transferebantur. concinnabantq. potum, nondum vini conficiendi ratione reperta, cum tamen nonnulla Vitium syluestrium, ac genera labruscarum apud illos suapte natura in syluis passim prouenirent, arboresque, & frutices, quibus aduoluebantur, uis, acinisq. variorum colorum, & pampinis condecorarent, atque grauitate sua incurarent. De hoc celeberrimo semine, & quod in nostram vsque tempestatem, & nummi & vini apud illos subeat vicem, agendum est, ab ipsa arbore sumpto initio. Est ergo *Cacaua Quahuil* arbor, amplitudine, & folijs mali Medicæ, longè tamen maioribus, atque amplioribus. fructu oblongo, Peponi magno simile, sed striato, & rufo, *Cacauacentli* nuncupato: semine *Cacauatl* pleno, quod semen, ut diximus, Mexicanis pro nummo est, materiemq. potionis eidem genti gratissimè præbet. Substantia idem constat pulpa in dispartita uisa particulas, sed probè compositas inter se, tenera, multi nutrimenti, subamara, subdulcique & temperata natura, aut paululum frigida, atque humenti. Sunt ergo quas adhuc compererim, quatuor huius arboris differentiæ. Prima

Quauh-
cacauatl.
Mecaca-
cauatl.
Xochica-
cauatl.

Tlalaca-
uatl.

Quauh-
paciatli.



QVAVHPATLATHLI
Cacauifera V.

Quauh-cacauatl dicitur, omnium maxima, & ampliorem ferens fructum. altera *Mecacacauatl*, quæ mediocri constat magnitudine, folia ac fructum ferens, magnitudine à prædicto secundum. tertia *Xochicacauatl* vocata, minor est, ac minorem profert fructum, semenq. extra rubescens, intra verò cæterorum colorum. quarta omnium minima, & ideo vocata *Tlalacacahuatl*, seu humilis, pomum fert minimum, haud alterius quam cætera genera coloris. Quæ differentiæ omnes eadem pollent facultate, atque eosdem vsus præstant, licet postrema portionibus magis inferuiat, cæteræ verò nummis aptiores, atque commodiores sint. Posset quoq; & *Quauh-paciatli* ad earum arborum genus referri, sed amplior est arbor, & ampliora folia, fructusque, & semina, quæ dulciora quoque sunt cæteris, & pro amygdalis possunt, tosta, aut saccharo condita edi, & vsurpari, quamquam parandæ potioni sint incommodiora. Nascitur in calidis, feruidisq. regionibus, locis vliginosis, aquosis, & humectantibus. Acuta igitur ægritudine laborantibus, exhiberi solet ex eo semine parata potio, cui nihil præterea commixtum sit, contemperando astui, ac feruori placando, & his quos calida intemperies epatis, alteriusuè partis vexat. Si verò quatuor granis

granis vnica vnica miscetur gummi eius, quod vocant *Olli*, bibaturq. dysentericus affectus mirè coeretur. verum sunt gummi ipsum, ipsaq. grana prius torrefacienda. grana siquidem adeo pingua sunt, ut exprimere, si libeat, possis ab eis oleum. gummi verò tenacissima, & valde glutinosa vi præditum. nimius autem huius potionis vsus viscera obstruit, colorem inficit, & ad Cachexiam, & insanabiles alios morbos ducit. Sed quoniam, & compositæ, & simplices parari ex eo poriones solent, atque hæ non vnica tantum ratione, aut eisdem ex rebus, iam his iam illis floribus, alijsuè plantarum partibus in farinam redactis & adiectis, in eis enarrandis fuerit haud immeritò aliquandiu commemorandum. Primum ergo potionis genus ex eo semine parari solitum, *Atatexli* seu madens dicitur. fit hoc simplex ex centum plus minus granis *Cacauatl* crudis, aut torrefactis, sed probe contusis, & commixtis ei portioni frumenti Indici, eo quo diximus modo redditi mollioris, quæ utrisque manibus apertis, coniunctisque, & in capacem figuram efformatis, possit commodè comprehendi. si verò liber parare compositum, addes *Mecacacacochiel* vocatæ plantæ *Xochinacazelii*, & *Tlaxochiel*, quæ suis describuntur locis, fructus contusos, & commixtos reliquis, mox verò quantum satis sit agitatis. transferenda autem ex celsiori loco in aliud atque aliud vas, hæc potio est, donec spuma demum excitata, partibusq. pinguioribus, & ad olei naturam propè accedentibus, ad superiora eleuatis sorbeantur, tantumq. leuiora sunt, & gustui gratiora, ut seorsim maiori iacunditate degustentur. Vis compositæ est Venerem excitare, simplex enim refrigerat, atque impensè nutrit. Aliud genus fit ex quinque & viginti granis *Cacauapaciatli*, toridem *Cacauatl*, frumenti verò Indici pugillo vno. huic nihil addi solet ex prædictis, illa siquidem calida sunt. ex hac autem potione sola infrigidatio, & nutritio quaeritur. Tertium verò *Chocolatl* vocatum, paratur ex granis *Pochole*, & *Cacauatl* æqua mensura, quod magnopere traditur corpora impinguare, si frequentius ea uti contingat. Ergo contrita omnia in fictili funduntur, agitanturq. ligneo pistillo, donec portio pinguior magisq. spectans ad aeream naturam innatet. quam seponunt, ac seorsim collocant, residuoq. immiscent frumenti prædicti emolli pugillum vnum. Postquam verò in liquorem forbitioni idoneum omnia sunt redacta, id pinguedinis quod separauerant, rursus commiscunt, atque ita demum tepidum potant, aut alijs sorbendum propinant. Hæc febri consumptis, tabidis, atque extenuatis mirè vile. Aliud genus *Tzene* dictum, paratur ex frumenti Indici, & *Cacauatl* æquis portionibus torrefactis, & modica quadam eiusdem frumenti emolli parte decoctis, donec forberi possint. quæ demum refrigerantia, nutrimenti, non medicamenti vices gerunt. Seritur iuxta *Quahuacacauatl* vmbra gratia arbor *Atlinam* vocata, nullius præterea, quod nouerim, vsus.

Potiones
Mexica-
norum.
Atatexli
simplex.

Compo-
situm.

Aliud.

Chocola-
tl.

Tzene.

Atlinam
arbor.

De AMACOZTIC, seu Papyro lutea, seu TEPEAMATL
Sycomoro Saxatili Mexicana. Cap. XLVII.

AMACOZTIC, quam alij *Texcalamatl*, seu saxorum Papyrum, alij *Tepeamatl* vocant, arbor est, cuius duæ visuntur species. Prima est arbor magna

Ficus nymphaefolia L.

Sycomor.
Syraculis
Mex. II.

magna, folia ampla ferens Hedere, obrotunda, pingua, purpurascens, ac cordis ferè figura, corticem altera parte pallescentem ex viridi; altera verò fuluum. in ipsis verò stipitibus, qui ficulnei sunt, & lenes in modum Sycomorì, fructum scibus paruis similem, purpurascens, semine minuto, ac fuluo refertum. adhæret faxis, non mediocriter spectando miraculo. Folia sunt saporis & odoris insignis expertia, frigescentis naturæ, atque humectantis. Jus decocti radicum linguam febrientium humectat, pectoris doloribus confert, purgatq. nondum excusso lacte pituitam, ac bilem per superna atque inferna, si viciæ tres, totidem aquæ libris ad vsque medietatis consumptionem incoquantur. Lac eius medetur vlceribus labiorum, cæterisque inueteratis. Est & altera secundæ speciei arbor eodem nomine ac temperamento prædita, quam virgarum restarum, leuiumq. vsum aiunt tantum præstare. Proueniunt *Cibicla* montosis asperisque locis, cautes, vt diximus indicare nomen, amplexa.



De COPALXOCHOTL, seu arbore Gummosa pruniformi.
Cap. XLVIII.

COPALXOCHOTL, quæ à Michuacanensibus *Pompoqua* vocatur, arbor est, folijs obrotundis, Prunis Hispanicis forma similis, sed fructu Medicis malis. qui prædulcis est, valde adstringens, & saliuam stillans impensè glutinosam. Prouenit regionibus calidis, & præcipuè Michuacanensibus. stillans saliuam illita febris curat, medeturq. dysenterijs, ac diarrhæis. Materies est operibus intestinis aptissima; ac ad simulacra efformanda cæteris præstantior. nam præterquam quod se facilem artificibus præbet, nec findi, neque putrescere, aut corrumpi est prompta. relipit gummi *Copalquahuile* vnde nomen.

Fructus ex viridi est Luteus, rami vero sunt coloris Castanei,

De

De COPALXOCHOTL altera Pruniformi Gummosa II. Cap. XLIX.

EST alia eodem nomine arbor, sed folijs maioribus, quanquam similiter obrotundis, & in paruam cuspidem desinentibus, fructuq. prunis, ac nucibus iuglandibus forma, & magnitudine simili. Nascitur *Tlaquitenanci*. Fructus impensè adstringit, conglutinatque. & est, si decoquatur, dulcis, ac saporis grati præcedenti par, vitibus & forma congener. Olsis nucleus gustu suavis est, & lepræ curandæ, si eo corpus illiniatur, perquam accommodus.

De THAMARINDO. Cap. L.

CONSVÈVERE Indi Orientales, & Occidentales, necnon aliæ quamplures nationes, contra Græcorum, & Latinorum consuetudinem plantas ipsas relinquentes sine nominibus, fructibus tantum, & floribus nomina imponere, quod in *Thamarindorum* arbore videmus euenire. cui cum nullum contigerit nomen peregrinum, aut fuerit à Mexicanis impostum (nuper enim est ad eas oras translata) fructus tamen eius non vnicum, sed plura sortiti sunt. Ita fit, vt Maluari, *Puli*, Guzarati, *Ambili*, & apud Arabes *Thamarindi*, seu Indi dactili nuncupentur. non quod hæc arbor è Palmiarum generibus, aut Palmis similis sit, seu fructus eius analogiam cum dactylis habeat, sed vel quia ita appellari libuit, vel quod fructus, digitorum quandam repræsentent similitudinem, etsi crassiores sunt, & magna ex parte longiores.



Est igitur arbor Nucis iuglandis magnitudine, aut Fraxini amplitudine, ramis dodrantalibus, foliis refertis minutis, pluribus ad vnum pediculum coherentibus, Ruræ similibus, sed longioribus, aut his quæ fert *Mizquiel*, vocata, Mexicanis *Hoaxinue*, aut *Quahunachazli*, materie firma, siliquis in digiti incurui, aut arcus figuram efformatis. quarum cortex initio vires, & post maturitatem est cinereus, & à quo facile exuatur fructus, nucleis satiuo Lupino paulò maioribus, intus contentis, leuibus, & fului coloris, quibus abiectis callo vtuntur medici. dulcis, acidiq. & iucundi saporis. Ea est harum siliquarum natura, vt noctu folijs conuolutæ, sese à frigoris iniurijs muniant, atque tueantur, interdiu verò suapte natura explicentur, & è penetralibus foliorum erumpant, ac prodeant. folia sunt saporis acidi, & suavis, atque ita vbi earum arborum suppetit copia, in salisamatorum vsum

vsūm veniunt, citra aceti auxilium. Ex descriptione ergo, quam exhibemus, & vera huius arboris imagine ad vsūm expressa atque representata, cunctis patere potest, haberiq. indubitatum, Græcorum Oxiphœnica haud esse censendam arborem *Thamarindorum*, cum dactili non sint, sed siliquæ (vt diximus) digitis incuruis similes, quantumq. aberrant Arabes, & caligent recentiores ad vnum omnes in eius descriptione, paucis exceptis. ex qua iudicare est promptum *Thamarindorum* arborem nunquam eos oculis perpexisse. Nascitur iam iuxta Acapulci portum, & apud *Quauhahuacenses* non longè ab vrbe Mexicana, vbi eius imaginem exprimendam curauimus. dedimusq. operam vt passim sereretur semen, deferreturq. ad Hispanias, sperantes quamcellerrimè vberem huius nobilis medicinæ prouentum euenturum. Frigida, & sicca constant temperie siliquæ, foliaq. Siliquæ bilem concoquant, pituitam incidunt, sedant calorem, & prædictos humores, sed potissimum bilem expurgant. Sunt qui virentes siliquas corticibus dumtaxat spoliatas, & addito saccharo ægotantibus præbeant deuorandas, feliciori successu quam si acetato vterentur tyropo humoribus, sed præcipuè biliosis, concoquendis, & ad vacationem parandis. alij aqua, aut stillatitio liquore, in qua cum aliquandiu manserint, & expressæ sint, humorem biliosum expurgant, tenuantq. crassiores. Nec desunt, qui Nucis Indicæ vocato oleo permixtas epotent, atque ita leniter, & tuto vacuentur. aceti quoque vsūm præbent, præcipuè maturæ, & earum folia tusa Eresipelatis vtilissimè imponuntur, quæ in Hispanias, ceterasq. Orbis regiones ab orientibus deferuntur, sale sunt conditæ. nec puræ asportantur, ne vitari, putrescereuè, maris, longiuè itineris causa, aut iniuria contingat. Fit ex eisdem recentibus adiecto saccharo, confectio, qua egregiè, & citra molestiam vllam humores prædicti concoquuntur, & vacuantur.

In describenda hac arbore author non dissentit à Garcia ab Horto quem vide cap. 28.

Arboribus, quæ siliquas leguminum instar habent accenseri debet Thamarindus, quales sunt Ceratonia, Cassia solutina, quibus etiam in viribus est similis.

De XALXOCOTL, seu Pomo Arenoso. Cap. LI.

XALXOCOTL arbor est magna, *Guayaus* ab Haitinis dicta, cuius tria reperiuntur genera, vnoque omisso de duobus tantum verba faciemus. primum ergo folia fert mali Medicæ, sed minora, ac multis distincta, interuenijs, flores candentes, fructum orbicularem, granulis refertum, sicuum granis ferè similibus, vnde nomen arenosi. Folia sunt acida, adstringentia, & valdè odora. scabiem curant, & lorionibus solent adhiberi. cortex frigidus, & siccus est, atque adstringens. Ius decocti eius tumentibus cruribus fert opem, & fistulosis viceribus medetur. conferre quoque referunt surditati, & dolores ventris tollere, partium quarundam calidarum, quarum expers non est, ministerio. Pomum calidum est, ac siccum, ac præcipuè exterior illius, ac solidior pars: nam interior, quæ mollis est, mitiorem videtur præferre calorem. Cimices quadantenus olet, & tamen non postremum in

mensis,

XALXOCOTL
Pomum Arenosum.



Stringit diarrheas. Arbor ipsa senium sentit intra tres annos: paulatim enim est saporis bonitate, & magnitudine Pomum decrescit. eadem fere habet Monardes cap. 64. Addit autem fructum maturum aluum soluere.

De Planta CACHOS vocata. Cap. LII.

OFFENDITVR in Peruanis siluis, quemadmodum à viris fide dignis accepi, arbuscula *Cachos* ab indigenis vocata, orbicularibus ornata folijs, tenuibus, ac virore tinctis exaturato, fructu verò Malis Infanis haud absimili, edulique referto, exili semine, fusco & compresso, nec ingrati saporis, quod vrinam aiunt euocare, coactos in vesica lapillos comminueret, ac propellere quæcumque vrinæ meatus occludunt. An verò hæc sit aliqua ex his quas apud nouam Hispaniam delcripsimus, aut depingendas curauimus, cum illam nunquam viderim, iudicare nequeo. Id facient Peruanii, ad quorum manus hi libri peruenerint.

Apud Monardem multa quoque habes cap. 30. de insignibus eius viribus in cienda vrina, propellenda arena, & calculo dissoluendo. Pomum aut altera parte sessile, altera turbinatum, cinereiq. coloris, acrimonia expers.

Semen tritum ex aqua aliqua idonea, sua vi Lithonchriptica calculum ferunt in lutum dissoluere.

De HOITZMAMAXALLI Arbore Cornigera. Cap. LIII.



ARBOR est Hoitzmamaxalli folia ferens Mizquitl, seu Thamarindi, flores luteos, filiquas edules, ac cornua taurinis valde similia, in arboris stipite, ac ramis prodeuntia. Folia, quæ nullum videntur saporem præferre gustata, venenis dicuntur aduersari, venenatisq. serpentium ictibus tusa, & vulneribus prius scarificatis admota, aiunt, sex horarum, plus, minusve spatio venenum omne inhibere, atque extrahere, & interim nigrum contrahere colorem. Generantur præterea intra corniculos Formicæ quædam tenues, fulvæque, & nigricantes, quarum morsus noxius est, doloremq. integrum diem durantem excitans. harum ova vermiculorum referentia figuram, redacta in pulverem, & auribus iniecta, instillatusve foliorum succus, dolorem earum sedant. ac dentibus applicatus succus, eorum quoque placat dolorem. Nascitur in calidis Huasteca, propinquisq. mari septentrionali locis, siue edita sint, siue campestria.

Cornua ista colore fere Castaneo sunt depicta.
Arbor ipsa leguminosa est, & Acatia similis.

De

De QVAVHAYOHVATLI I. Auellanis Catharticis. Cap. LIV.

Herbilla.

QVAVHAYOHVATLIS ab alijs Quauhlatzin, seu crepitans dicta, arbor, cuius fructus à nostris Auellanæ purgatiuæ nuncupantur, ab ipsa facultate nomine imposito, arbor est magna, stipitem fundens magnum, fuluum, & contortum, ex quo prodeunt vtrinque rami folijs Rhododendri angustis, & longis, fructu obrotundo, Ponticis nucibus simili. Prouenit Pabuallani, necnon Tbuallupæ iuxta littora Oceani Australis. Huius fructus nuclei, quini, septeniue, pituitam mire expurgant, dum tamen paululum torrefiant, ac contundantur, & in vino permittantur aliquamdiu madescere, ac membrana quædam circumuestiens auferatur.

De QVAVHAYOHVATLI II.

seu Cassia fistula. *Cassia fistula.*

Cap. LV.



QVAVHAYOHVATLIS, quam nostri Cassiam fistularem, aut filiquam vocant, arbor est magna, stipitem cinereum fundens, laurina penè folia, flores luteos, stellatos, ac racematim dependentes, è quibus filiquæ prodeunt notissimæ. quæ dum teneræ, ac recentes sunt, saccharo condiri solent, atque ita trium vnciarum pondere deuorata bilem, & pituitam, citra vllam noxam vacuant. De siliquis maturitatem perfectionemque adeptis, earumdem uè viribus, & vsu, in tanta luce verba, facere superuacaneum esset. Nascitur in calidis regionibus, qualis est Tauhcepecensis, & Hoaxtepecensis hortensibus, & campestribus locis.

De QVAVHAYOHVATLI III. seu semine arboris Cucurbitinae nuclei Pinus forma, purgante. Cap. LVI.

Pinocilla. Jatropha curcas. Linn. Euphorbia

ARBOR est mediocris magnitudinis, folijs magnis, Lappæ similibus, obrotundis, & angulosis, fructu quibusdam prunis, nucibusve iuglandibus simili, strobilinos ternos continente, totidem secretos cavitatibus, nostratibus pineis nucibus, forma, magnitudine, crusta, & nucleis, pa-

H 2 res,

Pineæ Cathartici.



res, sed facultate, viribusque longè dissimiles. quando hi vi pollent per superna, atque inferna, sed maxime per superna expurgare humores omnes, præcipuè crassos, atque lentos. quamobrem aduersus vetustas ægri tudines magna ex parte sumuntur, quini septeniue, semper tamen impari numero, nescio qua efficaci ratiocinatione aut causa. verum prius solent reddi torrefactione mitiores, resolui ex aqua vino, & in eis aliquandiu macerari. Calida, pinguiq. natura constant. Nascitur in agris calidarum regionum, qualis est *Tepecuacuilcensis*.

Proculdubio describit author nucleos pineos Catharticos non auellanas purgantes.

Quidam putant inter species Ricini hos nucleos reponi debere, sic fructus Ricini missus fuit D. Henrico Coruino pharmacopola cum inscriptione Pignones purgantes.

De QVAVHTLATLATZIN, seu arbore Crepitanti II. Cap. LVII.



QVAVHTLATLATZIN, id est arbor crepitans, sic dicta quia eius fructus cum maturuerit, strijs aliquot crepitantibus dehiscit, rumpiturq. tanto impetu, ac fonitu, vt veluti tormento quopiam bellico iactatus, quam longissimè euolet. Arbor est magna, folijs Mori longè tamen amplioribus, serratis per ambitum, multisq. distinctis interuenijs, stipite fuluo, fructu orbiculari, ex vtraque tamen parte compresso, ac Melopeponis instar striato, includenteq. intra se duodecim, aut amplius nucleos candidos, orbiculares, argenteo denario, aut verticillis, quibus fusa torquentur, forma atque magnitudine similes. bini ex his, detracta quadam interiori, mediaq. membranula, quæ solet inducere anxietatem, humores omnes, per superna atque inferna, sed præcipuè pituitam, atque bilem detrahunt,

hunt, securum. & felicitis successus medicamen, mediocriter calidum, & morbis à frigore ortis conuenientissimum. Torrefiunt ergo mediocriter, & resoluuntur ex aqua, atque ita matutino eporantur. Nascitur in calidis locis, quibus est admodum familiaris.

An fructus Cholagogus Monardis? valde affinis priori videtur.

De AHVACA QVAVHITL, seu Arbore Querciformi butiraceo fructu. Cap. LVIII.

AHVACAQVAHVITL, seu arbor Quercui similis, cui fructus appendet, arbor est procerâ, mali Medicæ folijs, virentioribus, amplioribus, & asperioribus. flore paruo, ex albo pallefcenti. fructu oui forma, sed interdum maiore, aut, si maus, ficuum præcocium forma, & magnitudine, extra nigro, intra virefcenti. pinguis qua butyrum æmulatur naturæ, & sapore viridium nucum, folia sunt odorata, calidaq. & sicca ordine secundo temperiei, quamobrem commodè lotionibus adhibentur; poma quoque calefaciunt, gustui sunt grata, & non omnino malæ alimonie, sed pinguis, humentisque, & venerem mirum in modum excitantis, augentisq. semen. Hæc nucleos continent è candido in rubrum vergentes; solidos, duros, nitidos, atque in duas fillos, veluti amygdala, partes, quamuis oblongi sunt. & columbinis ovis paulo ampliores; ij sapore amygdalarum amararum constant, funduntq. si prælo comprimantur, oleum amygdalino haud ab simile, non odore modo sed sapore quoque, & facultate; medetur enim impetigini, stigmatique. Adstrictione quadam opitulatur dysentericis, ac findi capillos prohibet. Arbor toto anno viret, & quibusvis regionibus, sponte, aut culta adolescit, ac gaudet; calidioribus tamen, planisque locis lætior prouenit, & in maiorem assurgit magnitudinem.

De COCHITZAPOTL, seu TZAPOTL somnifero. Cap. LIX.

ARBOR magna est *Cochitzapotl*, atque incondita, folijs mali Medicæ, raris, ac ternis, stipite albis næuis distincto, floribus pallentibus, & modicis, fructu verò Coronei forma, & magnitudine, vocatò à nostris Hispanis *Albatzapotl*, eduli, saporis grati, sed non admodum salubris nutrimenti, & ossis nucleo lethali, ac deleterio. Nascitur in calidis, frigidisq. regionibus: cortex arboris siccus est, ac paulisper dulcis, non sine quadam amaritudine. folia tusa, & apposita nutricum papillis, infantulorum medentur diarrhæis. ossa tusa, & in farinam redacta, opitulatur vlceribus putridis, vitiosa carne profus exesa, atque absumpta, purgato vlcere, carne generata, ac cicatrice mira quadam celeritate inducitur. poma ingesta somnum conciliant, à quo nomen inuenerunt.

De *QVAITZAPOTL*, seu *Anona*. Cap. LX.

QVAM Mexicani *Quaitzapotl* vocant. Haitini *Anonam* appellare solent, sub quo nomine apud Hispanos, huius nouæ Hispaniæ colonos frequentius circumfertur, alij verò *Texatlezapotl*, arbor est magna, amplaque, folijs mali Medicæ, sed angustioribus, floribus candidis, tricuspibus, similibusq. pyris musteis, gratia, & suavitate odoris, fructu desuper punctis fuluis, & virentibus variato, melonis ferè magnitudine, nec ab simili illa *Matzapotl*, cuius interna, quæ nigro semine paruoq. scærent, ferculo vocato ab Hispanis candido, mollitudine, colore, & sapore, similia sunt. non tamen pari gratia, atque nutrimento, quod statuosum est, neque admodum probati succi; nuclei huius pomi diarrhæas sistunt, et si acceperim inter *Tzontzonate*, ac *D. Seruato*ris oppidum, genus quoddam *Anona* provenire, cuius feminis nuclei decem, duodecimue deuorati, leniter, ac sine molestia, bilem, ac pituitam expurgent, nascitur regionibus calidis, qualis est *Haitina* Insula, & prouincia nouæ Hispaniæ *Quauhmacensi*.

De *QVAHXILOTL*, seu *Arbore Cucumeris Moschati*. Cap. LXI.

ARBOR est *Quauhxiloch* magna, ferens fructum similem *Spei Maiorij* iuxta aquarum decursus, folijs ternis ocyminis proximis, fed maioribus, & latoribus, spinulis yndique horrentibus, candidantibus floribus, cymbalorum figura, fructu Cucumeris falcati forma, viridis coloris, sed in luteum uè gentis, striato, eduli, crudo coctione prædulci, & Galliam Moschatam mira similitudine olente, quàmquam facile is odor euanescat, nec persistat diutius. Provenit in calidis *Tauhtepencibus* locis. ius decocti foliorum medetur surditati è frigore prouenienti instillatum auribus. calida enim, siccaq. ordine primo constat natura. Vidi aliam arborem fructu, & nomine isdem, atque natura, sed spinis carentem, folijs ferratis, pennatisq. ramulis; seu differant specie, seu ea diuersitas soli tantum, aut ætatis ratione contingat, si prætermittatur nihil refert.

De *COACAMACHALLI*, seu *Maxilla Colubri*. Cap. LXII.

COACAMACHALLIS à foliorum forma Colubri maxillæ similiter vocata, arbor est magna, folia qua diximus forma ferens, ac quadantenus similia folijs *Coanepillis*, et si volubilis illa est, hæc autem arbor magna, semen verò exile, & spicatum iuxta ramorum extrema, & siliquas refertas semine lentium figura. nascitur *Hoaxtepecensi* agro iuxta montium fauces. folia illa dolores etiam à lue Indica ortos mitigant, auxilianturq. tensioni. sapor est adstringens, dulcis, & aliquantisper glutinosus. temperics quodammodo frigans, aut moderate calida.

Videatur legumen describere.

De *TLAPALEZPATLI*, seu

fluentis sanguinis medicina.

Cap. LXIII.



TLAPALEZPATLI, id est fluentis sanguinis medicina, ab alijs *Ezpatlis* nuncupata, arbor est mediocris, folia ferens *Origani*, florem paruum, & candidum, *Tzquizochil* similem, racematim dependentem, fructumque (ut ferunt) nullum. floret mense Septembri, gaudetque locis gelidis, montosisque, aut aliquantò calidioribus. Ius decocti corticum eius vrinam euocat, & quicquid ei impedimento esse potest, maxime si cum *Tlalacacuitlapilli* misceatur. sanguinem per colem fluentem cohibet, ipse verò cortex aluum coerces. frigida siccaque & nonnihil adstringenti constat natura.

De *CHICHTLAPALEZ QVAHVITL*, seu de arbore rubri sanguinis amara, Sanguiflua. Cap. LXIV.

ARBOR, quam Mexicenses vocant *Chichitlapalezquahnil* folia fert oblonga, obrusa, & circa pediculum sensim attenuata. lac primò candens, & tandem rubescens effundit, vnde nomen; flore, & fructu, aiunt carere. nascitur apud *Quauhmacensem* agrum, temperatis plagis, aut paulò frigidioribus. calida, glutinosa, resinosa, odoraque, & adstringenti constat natura. cortex stipitis tufus, ac sex obolorum pondere epotus ex aqua; sanguineam expuitionem per se cohibet, adstrictoria, quam participat; vi, & inflammatis oculis medetur.

De *AHVAPATLI TILACENSI*. Cap. LXV.

ARBOR est magna *Ahuapatlis* spinosa ferens folia, & Illicis folijs similia, sed paulò longiora, florem autem paruum, luteum, & orbicularem, ac demum nigrescentem fructum. stipes pallidus intrinsecus est. nascitur in collibus, planisque locis, *Mistice* superioris. Stipitis ramentorum decocti ius, ictericis dicitur magnopere conferre, & his qui bilis redundantis gratia, cordis vexantur affectionibus.